



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1847

CDXLXXV. Der Propst Eberhard Woltman in Magdeburg bezeugt, daß der Bischof Dietrich die Kirchen in der Stadt Burg mit seinem, dem Marienkloster vereinigt habe, am 16. April 1467.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54048)

CDXLXXV. Der Propst Everhard Woltman in Magdeburg bezeugt, daß der Bischof Dietrich die Kirchen in der Stadt Burg mit seinem, dem Marienkloster vereinigt habe, am 16. April 1467.

Nos Everhardus Woltmann prepositus, Hermannus prior, totumque capitulum monasterii ecclesie beate Marie virginis civitatis Magdeburgensis, ordinis Premonstratensis, recognoscimus etc., quod reverendus etc. dominus Thidericus, episcopus Brandenburgensis, prioris ac totius capituli ecclesie sue Brandenburgensis consilio, unanimi consensu pariter et voluntate, ad petitionem et supplicationem nostras ecclesiam parrochialem beate Marie virginis et suam appenditiam, videlicet ecclesiam sancti Nicolai in opido Borgh, Brandenburgensis diocesis prepositure monasterii nostri antedicti duxit uniendas ac univit, prout in literis ejusdem domini nostri, episcopi Brandenburgensis desuper confectis, quarum tenorem hic pro expresso haberi volumus, de verbo ad verbum plenius continetur et habetur, statuitque, ordinavit et decrevit idem reverendus etc. Theodericus, episcopus Brandenburgensis antedictus, prefatas ecclesias in Borgh de cetero et imperpetuum cum prepositura nostri monasterii unum et unicum ecclesiasticum beneficium fore et curam animarum ac titulum earundem ecclesiarum apud nos Everhardum prepositum et nostros successores pro tempore existentes esse, nos quoque et successores nostros veros plebanos et rectores dictarum ecclesiarum censeri debere. Cum autem prepositus nostri monasterii antedicti, qui tempore vacationis dicte nostre prepositure per confratres nostros electus fuerit, confirmationem seu provisionem prefate nostre prepositure a reverendissimo in Christo patre et domino, domino archiepiscopo Magdeburgensi, domino nostro generosissimo pro tempore existente susceperit, debet etiam ad petendum et recipiendum curam animarum et regimen plebis dictarum ecclesiarum, omni prorogatione remota a prefato reverendo patre et domino Theoderico episcopo Brandenburgensi et successoribus aut in spiritualibus suis vicariis esse astrictus ac ecclesias prefatas per confratres nostros aut alios presbiteros seculares idoneos ad nutum suum tocians quociens sibi expedire videbitur, regere aut committere regendas. Illi vero, quibus hujusmodi ecclesias prepositus nostri monasterii duxerit committendas, debent nominibus earundem ecclesiarum sinodos visitare procuraciones annuas domino nostro generoso episcopo Brandenburgensi antedicto et suis successoribus ratione visitationis ac preposito dicte ecclesie Brandenburgensis occasione synodi annualis debitas seu alias consuetas una cum caritativo subsidio imposito et postulato ac omnia alia et singula jura episcopalia in quodam privilegio incorporationis earundem ecclesiarum pie memorie Friderici, episcopi Brandenburgensis, latius expressa et contenta singulis annis exsolvere atque porrigere, nec non jurisdictioni et correctioni ejusdem domini episcopi et prepositi ecclesie Brandenburgensis suorum successorum ac officialium eorundem, quamdiu dictas ecclesias rexerint subesse et ipsorum mandata fideliter exequi aut executionem debite facere demandari. Et ne amplius ab eisdem ecclesiis seu rectoribus earundem pro mediis fructibus aut cathedralico quicquid exigatur aut postuletur, nos Everhardus prepositus, Hermannus prior totumque capitulum monasterii antedicti promittimus ac stabili fide spondemus pro nobis et nostris successoribus sepefato reverendo in Christo patri et domino, domino Theoderico episcopo Brandenburgensi et suis successoribus duos pro canonica et legitima portione aut mediis fructibus tempore visitationis cleri in Seieser, preposito vero ecclesie Brandenburgensis pro cathedralico tres florenos renenses super festo Walburgis a data presentium continue computando singulis annis perpetuis futuris temporibus absque aliqua contradictione disponere, dare atque pagare. In ejus rei evidens testimonium etc. MCCCCLXXII. die sexta decima mensis Aprilis.

Nach dem Originale.